

Distinctio XXXVIII

<Divisio textus>

“Nunc igitur ad propositum,” etc. Postquam Magister determinavit de divino intelligere prout exprimitur per nomen ‘scientiae’ et ‘sapientiae’, hic tractat de ipso prout exprimitur nomine ‘praescientiae’. Et circa hoc facit tria: primo namque agit de causalitate divinae praescientiae; secundo vero de ipsius infallibilitate; tertio quoque de ipsius immutabilitate, an scilicet possit minui vel augeri. Secunda ibi: “Ad hoc autem quod supra dictum est.” Tertia ibi, distinctione XXXIX: “Praeterea quaeri solet.”

Circa primum duo facit: primo enim ostendit quod Dei praescientia non est causa rerum futurarum aut eventuum earumdem; secundo vero ostendit eius conversam, scilicet quod nec res futurae causae sunt scientiae vel praescientiae Dei. Secunda ibi: “Nec etiam res futurae.”

Circa primum duo facit: primo enim inducit auctoritates Augustini quibus videtur probari quod praescientia sit causa eorum quae subsunt ei, ac necessitatem eveniendi eis imponat, dicens quod: “Hic oritur quaestio non dissimulanda,” an scilicet praescientia Dei rebus praescitis necessitatem imponat; videtur enim quod sic, quia nisi Deus ea praescisset non evenirent; nec possunt non evenire postquam praescita sunt, alioquin praescientia Dei falli posset, quod impossibile est. Et ad hoc adducit Magister duas auctoritates Augustini, et patent in littera.

Secundo ibi: “Quod si ita est,” determinat quaestionem, dicens quod hoc nullo modo concedendum est, quia tunc Deus esset actor et causa malorum cum mala praesciverit sicut et bona, quod penitus falsum est.

Postmodum ibi: “Nec etiam res futurae,” Magister inquirat de conversa, an scilicet futura sint causa praescientiae Dei. Et circa hoc tria facit: primo enim determinat quod non, dicens quod si ideo res praescirentur quia futurae sunt, sequerentur inconvenientia multa: Primum quidem quod aliquid alienum a Deo causa esset alicuius aeternaliter existentis in Eo; secundum vero quod ex creaturis penderet praescientia Creatoris; et tertium quod causatum et creatum esset causa alicuius increati.

Secundo ibi: “Origenes tamen,” instat Magister contra praedictam determinationem auctoritate Origenis, et patet in littera.

Tertio ibi: “Hanc igitur,” respondet ad praedictam auctoritatem et ad dicta Augustini in prima parte inducta, et reducit ad concordiam, dicens quod uterque accipit causam sine qua non. Et verum est quod Origenes dicit Deum ideo scire futura quia futura erant, intelligendo quod si non essent futura, non praescivisset; et verum est dictum Augustini quod quia Deus praescivit, ideo evenerunt, intelligendo similiter quod si non praescivisset, non evenissent. Non tamen positive debet intelligi quod unum sit alterius causa. Et hunc intellectum confirmat Magister auctoritate Augustini, et patet.

Postmodum ibi: “Ad hoc autem,” agit de infallibilitate divinae praescientiae, et facit duo: primo enim instat et solvit, dicens quod videtur Dei praescientia posse falli, quia si praescivit hunc lecturum qui legit, ille potuit non legisse, et ita potuit praescientia Dei falli. Et respondet ad hoc quod si non legisset, Deus utique praescivisset et ita non falleretur.

Ultimo ibi: “Sed adhuc urgent,” replicat contra praedictam solutionem, dicens quod adhuc arctant quaestionis difficultatem, quia si Deus praescivit istum lecturum, aut aliter potest fieri aut non aliter; sed non potest dici quod non possit aliter fieri, alias de necessitate cuncta eveniunt; igitur aliter potest fieri quam praescitum sit, et ita Dei praescientia possibilis est mutari. Et respondet Magister quod haec propositio: ‘Aliter potest fieri quam Deus praescivit’, et similes multiplicem habent intelligentiam, quia possunt intelligi coniunctim vel disiunctim. Coniunctim quidem ut conditio sit implicita, et tunc est propositio vera, ut sit sensus: ‘Non potest aliter fieri quam Deus praescivit’, quod non potest utrumque simul esse, scilicet quod Deus praesciverit ita fieri et aliter fiat. Disiunctim vero et non implicando conditionem, et sic propositio est falsa, ut sit sensus: ‘Hoc aliter non posse evenire quam evenit, quod tamen futurum Deus praescivit’; hoc siquidem falsum est, quia aliter potest evenire quam eveniat, et tamen futurum hoc modo Deus praescivit.

Haec est sententia.

Quaestio LXIII

Utrum Deus sit praescius contingentium futurorum? Et quia Magister hic agere incipit de praescientia Dei, ideo inquirendum occurrit utrum Deus praescius sit omnium contingentium futurorum. Et videtur quod non, in illo enim non potest poni praescientia cui nulla sunt futura, cum praescientia idem sit quod prior scientia, praecedens videlicet duratione scita; sed Augustinus dicit *LXXXIII quaestionum* quaestione XXX, quod: “Apud Deum nihil deest, nec praeteritum nec futurum, sed omne praesens est apud Deum,” et iterum Deus non est prior duratione, cum abstrahat ab omni duratione; ergo impossibile est quod sit in Eo praescientia contingentium futurorum.

Praeterea, de non ente non est scientia, secundum Philosophum primo *Posteriorum*; sed futura contingentia non sunt, nec in se nec etiam in suis principiis determinate, nam principia sunt ad utrumlibet; igitur futurorum contingentium praescientia esse non potest.

Et confirmatur, quia Philosophus secundo *Metaphysicae* dicit quod: “Unumquodque sicut se habet ad entitatem sic se habet ad veritatem”; constat autem quod nullam entitatem habent futura, et per consequens nullam veritatem, sed potius falsitatem; falsum autem sciri non potest.

Praeterea, “scientia est impossibilium aliter se habere,” ut Philosophus dicit primo *Posteriorum* et VI *Ethicorum*; sed futura contingentia sunt possibilis aliter se habere, aliter necessario evenirent; igitur praesciri non possunt.

Praeterea, scientia est habitus veridicans determinate verum dicens, secundum Philosophum VI *Ethicorum*; sed futurorum contingentium non est determinata veritas, secundum Philosophum primo *Peri hermeneias*; ergo de ipsis nulla certa scientia potest esse.

Praeterea, si posset esse praescientia contingentium futurorum, de necessitate altera pars contradictionis esset determinate vera in propositione singulari de futuro contingenti, quia pars illa quae praescita esset; sed Philosophus demonstrative probat primo *Peri hermeneias*, deducendo quod “non oporteret consiliari nec negotiari,” quod non est determinata altera pars contradictionis in veritate in propositione singulari de futuro contingenti; ergo futurorum praescientia est impossibilis.

Praeterea, omne scitum de necessitate est verum, quia scientia est de necessariis et aeternis, ut patet primo *Posteriorum* et VI *Ethicorum*; sed ‘Antichristum venturum’ non est de necessitate verum, alias de necessitate eveniret, et idem est de ceteris contingentibus futuris; igitur ‘Antichristum futurum’ non potest esse praescitum, nec aliquod aliud futurum.

Praeterea, Philosophus dicit primo *Ethicorum* quod: “Disciplinati hominis tantum certitudinis inquirere in unoquoque quantum natura rei patitur,” et innuit quod si natura rei non patitur in se certitudinem, impossibile est quod aliquis intellectus possit habere de illa certitudinem – et propter hoc secundo *Metaphysicae* dicit Commentator, commento XVI, quod mathematica sunt in primo gradu certitudinis; sed constat quod natura contingentium futurorum non habet in se certitudinem et determinationem; ergo apud nullum intellectum potest esse certa scientia contingentium futurorum.

Praeterea, illud non est ponendum in Deo quod absurditatem et imperfectionem ponit in Eo; sed Ieronimus ait in expositione illius verbi: “Facies homines quasi pisces,” Abacuc, primo scripti, quod: “Absurdum est ad hoc Dei maiestatem deducere ut sciat per momenta singula quot pulices nascentur, quot ve moriantur quanta pulicum et muscarum sit multitudo, quot ve pisces natent in aquis,” et similia: “Non simus tam fatui adultores Dei ut dum providentiam Eius ad ima retrudimus in nos ipsos iniuriosi simus;” ergo futurorum omnium praescientia poni non potest in Deo.

Quod in Deo sit praescientia omnium contingentium futurorum. Sed in oppositum videtur per illud Apostoli ad Romanos III, dicentis de Deo quod: “Vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt”; et Isaia XLI dicitur: “Annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos”; sed haec vera non essent nisi Deus esset praescius omnium futurorum; ergo istud poni oportet.

Praeterea, qui praedicit determinate futurum novit illud determinate; sed Deus per ora prophetarum futura determinate praedixit; ergo ea determinate cognovit.

Praeterea, Ecclesiastici XXIII dicitur quod: “Oculi Domini multo lucidiores sunt super solem circumspectantes omnes vias hominum” <...> “Domino enim Deo, antequam crearentur omnia agnita,” et Augustinus dicit *XV De Trinitate* capitulo XIII, quod: “Non aliter Deus scivit creata quam creanda”; igitur id quod prius.

Praeterea, nullus negare potest quin futuro posito iam in actu, Deus illud cognoscat; sed nulla notitia potest in Eo esse de novo; igitur ab aeterno cuncta futura cognovit.

Responsio ad quaestionem. Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo namque, supposito tamquam vero determinato per fidem quod Deus sit praescius futurorum, inquiretur modus secundum quem potest cognoscere futura. Secundo vero inquiretur an notitia futurorum in Deo sit proprie intuitiva vel potius expectativa et quaedam praescientia. Tertio vero inquiretur an propositio singularis de futuro contingenti sit determinate vera in altera parte contradictionis propter illam notitiam quam Deus habet de futuro.

Articulus primus

Opinio Thomae parte prima, quaestione XIII, articulo XIII, et in *Scripto primo*, et libro primo *Contra gentiles*. Circa primum ergo considerandum quod, licet Philosophus et Commentator et alii plures philosophi, ut Seneca et quidam morales, negaverint divinam praescientiam propter hoc quod non patet qualiter stet cum contingentia rerum, ut apparebit in quaestione sequenti, catholice tamen concedere oportet quod omnia futura, quantumcumque sint contingentia, Deus determinate praenovit. Et hoc demonstrative potest concludi, quia videtur esse communis animi conceptio et facere ad perfectionem divinam. Et universaliter quae supra inducta sunt ad probandum quod Deus singularia cognoscit, pari ratione possunt induci quod Deus futura contingentia novit et omne cognoscibile, quodcumque sit illud. Hoc igitur supposito, restat inquirere, quia difficultas est in modo qualiter futurum, quod in se indeterminatum est et incertum, possit Deo certitudinaliter esse notum antequam fiat.

Dixerunt ergo aliqui quod futurum potest considerari vel in quantum futurum est, et sic non habet esse in se, sed tantum in causis in quibus non habet certitudinem absolutam, quia causae in quantum huiusmodi non sunt magis determinate ad unum oppositum quam ad aliud – sunt enim ad utrumlibet; vel potest considerari in quantum exhibitum est actualiter et positum in rerum natura, et tunc habet in seipso esse determinatum, et ideo quando est in actu, certitudinaliter sciri potest, “ut patet in eo qui videt Sortem currere, quia Sortem currere dum currit necessarium est, et certam cognitionem habere potest <...> Divinus ergo intellectus intuetur ab aeterno unumquodque contingentium, non solum prout est in causis suis, sed prout est in suo esse determinato.” Cuius ratio est quia “omnis cognitio est secundum modum cognoscentis”; Deus autem aeternus est; aeternitas vero, cum sit tota simul una et eadem et indivisibilis, praesens est omnibus temporibus; “et ideo cognitio sua intuetur omnia temporalia” ut praesentia, quamvis sint sibi mutuo succedentia; “nec aliquod eorum est futurum respectu Dei, sed unum respectu alterius.” Et haec videtur intentio Boetii *V De consolatione*.

Opinio Henrici VIII *Quolibeta*, quaestione secunda, et Scoti. Dixerunt vero alii quod Deus potest cognoscere futurum contingens certitudinaliter propter hoc quod voluntate Sua causa est contingentium futurorum; qui autem novit causam impossibilem impediri, certitudinaliter novit effectum; novit autem Deus determinationem voluntatis Suae et omnia per consequens ad quae determinat se, propter quod infallibiliter novit futura.

Opinio Scoti in speciali. Dixerunt quoque alii addentes ad praedicta quod intellectus divinus non novit tantum futura ex determinatione Suae voluntatis ne discursivus ponatur, sed novit ea in se, tamen praevia voluntate et acceptance ipsius, ut iste sit ordo: Quod intellectus praesentat utramque partem contradictionis voluntati, voluntas vero alteram acceptat, et ex hoc illa pars facta est scibilis tamquam quid determinatum et certum, et tunc per essentiam suam intellectus

divinus cognoscit certitudinaliter partem illam. Et secundum hoc voluntas non erit sibi ratio cognoscendi, sed aliquid praeivium, requisitum ex parte cognoscibilis et dans sibi certitudinem et rationem scibilitatis.

Opinio Aliorum. Dixerunt autem alii quod Deus novit futura per ideas quas habet penes Se quae quidem non solum repraesentant simplices terminos, immo complexiones terminorum cum omnibus circumstantiis temporis et loci. Unde Deus, habens penes Se ideas Antichristi et instantis futuri et sessionis et templi, novit per eas determinate quod Antichristus in tali nunc sedebit in templo, quasi ipse sit Deus.

Quid dicendum secundum veritatem. Et primo quod Deus non cognoscit futura cognoscendo determinationem aut nutum Suae voluntatis, contra secundam opinionem. Restat igitur nunc dicere quod videtur, et primo quidem sub quinque propositionibus negativis, quarum prima est quod Deus non cognoscit futura cognoscendo determinationem aut nutum Suae voluntatis. Deus enim non cognoscit futura per cognitionem illius quod non est futurorum causa, cum omnis cognitio vel sit rei in se vel rei per suas causas; sed manifestum est quod determinatio voluntatis divinae non est causa contingentium futurorum – saltem omnium – quia non est causa actuum qui eliciuntur a libero arbitrio, et maxime peccatorum, quia Deus non est actor malorum; ergo non potest dici quod cognoscat omnia futura contingentia cognoscendo determinationem aut nutum Suae voluntatis.

Praeterea, illud non cognoscit Deus per determinationem Suae voluntatis respectu cuius non est determinatio Suae voluntatis; sed manifestum est quod voluntas divina non determinat creatam voluntatem ad peccandum; ergo dici non potest quod cognoscendo determinationem Suae voluntatis cognoscat Deus Iudam in tali nunc fuisse peccatum.

Sed forte dicetur quod licet Deus non determinet voluntatem ad peccandum, nihilominus permittit, et secundum hoc habet voluntatem permissionis, secundum quam novit quod Iudas in tali instanti peccabit quia Ipse permittet.

Sed si ita dicatur, non valet. Illud enim, quo posito, adhuc remanet effectus indeterminatus ad utramque partem contradictionis – quia possibile fieri vel non fieri – non ducit per certitudinem et determinate in alteram partem contradictionis; sed voluntate permissionis posita, adhuc remanet voluntas creata indeterminata, et peccatum possibile est fieri vel non fieri, non enim permissio determinat ad peccandum, sed exigitur ultra hoc determinatio voluntatis creatae quae penitus remanet indeterminata quantumcumque permittatur; ergo Deus non novit determinate peccatum futurum in tali nunc ex hoc quod novit permissionem Suae voluntatis.

Et confirmatur, quia causa quae non ponit effectum determinate non ducit certitudinaliter in cognitionem illius.

Ulterius forte dicetur quod in peccato semper est aliquid positivum, videlicet actus substractus deformitati; licet ergo divina voluntas non determinet ad deformitatem peccati, determinat tamen ad actum substractum, cum sit aliquid positivum.

Quod si ita dicatur, non valet. Impossibile est enim quod aliquid determinet ad actum quin determinet ad deformitatem inseparabilem ab illo actu; sed deformitas est inseparabilis ab illo actu numerali in quo est, et omnino ab actu odii divini deformitas separari non potest; ergo si determinet Deus voluntatem creatam ad actum, determinabit et ad deformitatem ac peccatum.

Et confirmatur, quia nec voluntas creata intendit deformitatem per se, sed delectationem et id quod est positivum in actu – nullus enim ad malum aspiciens operatur, secundum Dionysium, immo displicet quod est actui annexa deformitas, et si posset, vellet peccator perfrui delectatione et habere quicquid est positivum in actu exclusa deformitate; et tamen hoc non obstante, dicitur actor peccati propter hoc quod est causa actus quem deformitas necessario comitatur; quare si Deus determinaret voluntatem creatam ad talem actum, necessario esset actor peccati. Et iterum non deberet peccatori imputari si determinaretur ad huiusmodi actum positivum a voluntate divina, quae est efficax et quae semper impletur.

Ulterius forte dicitur quod Deus novit quibus proposuit gratiam Se daturum et quibus non daturum; cognoscendo ergo huiusmodi propositum, cognoscet quis peccabit, quia cui non dabit gratiam; qui vero habebit gratiam non peccabit.

Quod si ita dicatur, non valet, quia contingit habentem gratiam peccare et non habentem gratiam aliquando non peccare.

Ulterius forte dicitur quod licet per determinationem voluntatis Deus non possit mala cognoscere, potest tamen alia futura.

Sed nec etiam istud valet, tum quia remanet nobis difficultas quomodo novit actus liberi arbitrii in quibus contingunt peccata; tum quia difficultas est generalis circa omnia futura, et si aliquid novit in se absque determinatione voluntatis, videtur quod omnia possit etiam sic cognoscere; tum quia licet aliquorum futurorum Deus sit actor per Suam voluntatem, non tamen est omnium, unde non ideo quia Deus praenovit, futura sunt, secundum Magistrum in praesenti distinctione.

Sic igitur demonstrative concluditur cuilibet fidei quod Deus non novit futura omnia per cognitionem nutuum Suae voluntatis et determinationis ipsius.

Quod nec novit per essentiam cum voluntate praeacceptante alteram partem contradictionis, contra opinionem tertiam. Secunda vero propositio est quod nec Deus novit futura per essentiam, voluntate praeacceptante alteram partem contradictionis, sic quod huiusmodi acceptatio det illi parti cognoscibilis rationem. Illud enim super quo non cadit divina acceptatio, non habet quod sit cognoscibile ex divina acceptatione; sed futura mala non acceptantur a Deo nec super ea cadit divinum beneplacitum, immo magis oppositum, secundum illud Psalmistae: “Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem”; ergo mala futura non cognoscuntur a Deo quia divina acceptatio det eis cognoscibilis rationem.

Praeterea, aut huiusmodi acceptatio est beneplacitum et voluntas inefficax, aut efficax voluntas; sed non potest dari primum, quia beneplacita essent multa fieri quae tamen numquam fient, cum omnia opera virtuosa sint beneplacita; nec potest dici secundum, quia voluntas efficax semper impletur et est causa eius quod fit, divina autem voluntas non est causa actuum procedentium a libero arbitrio, et maxime peccatorum; ergo poni non potest quod divina acceptatio det futuro contingenti cognoscibilis rationem.

Praeterea, essentia nihil recipit a voluntate divina, alioquin non esset quid necessarium, sed subesset suae voluntati, sicut essentiae create; sed si praeexigeret acceptationem voluntatis ad hoc quod esset ratio cognoscendi futurum, sequeretur quod aliquid reciperet a sua voluntate; quare enim ‘essentia non sit ratio cognoscendi nunc et post sit ratio cognoscendi’, non potest esse nisi quia facta est in ea aliqua similitudo aut aliquid aliud per quod sit ratio cognoscendi; igitur illud poni non potest.

Quod Deus non cognoscit futura per ideas simplicium terminorum, contra quartam opinionem. Tertia quoque propositio est quod per repraesentationem idearum quas Deus habet de omnibus simplicibus terminis, non potest certitudinaliter cognoscere futura. Illud enim quod abstrahit ab esse et non esse in repraesentando non ducit determinate in rem ut est existens; sed idee simplicium terminorum repraesentant indeterminate sive sint sive non sint, sicut et species rose repraesentat rosam sive sit sive non sit; ergo dici non potest quod per ideas cognoscantur futura.

Et si dicatur quod immo per ideas non solum repraesentantes terminos sed complexionem terminorum in tali nunc vel tali, non valet, quia adhuc talis repraesentatio possibilis est, sive sic eveniat sive non eveniat, et per consequens nescietur determinate per ideas repraesentantes futurum in tali nunc utrum sic erit vel non erit.

Praeterea, sicut Deus abstrahit a modo situati in repraesentando – non enim repraesentat ut hic vel ibi, alioquin esset materialis, ut supra dictum est – sic abstrahit a linea temporali et successionis, unde non repraesentat ut ante vel post aut nunc vel tunc, alioquin esset infra lineam successionis respectu cuius esset aliquid prius et aliquid posterius; sed si Deus haberet ideam repraesentantem talem rem futuram in tali nunc, sequeretur quod repraesentaret

secundum lineam temporalem, nec abstraheret a nunc vel tunc in repraesentando; ergo poni non potest quod repraesentet huiusmodi complexionem terminorum in tali nunc futuram.

Praeterea, complexio illa in tali nunc posita, vel ponenda, non potest repraesentari per aliquam similitudinem quae adhuc non maneat – dato quod non sit ponenda – alioquin non posset habere similitudinem falsam; sed talis similitudo non ducet certitudinaliter in complexionem illam, cum possit esse falsa, ut dictum est; ergo non cognoscit Deus futura per ideas repraesentantes complexionem aliquam terminorum in tali instanti ponendam.

Est autem sciendum quod processus aliquorum in ista conclusione non valet. Arguunt enim quod per ideas non possit Deus cognoscere futura quia rationes sive idee terminorum non causant sufficientem notitiam, nisi illam quae est nata ex terminis haberi; notitia autem contingentium non est nata haberi ex terminis, cum complexio terminorum non oriatur ex ipsis in materia contingenti, immo termini sunt indifferentes ad utramque partem contradictionis; et ita per ideas non possunt futura certitudinaliter cognosci.

Dicerent tamen alii quod complexio terminorum futura est aliquid aliud a terminis, propter quod habet ideam in Deo ultra ideas simplicium terminorum, et sic per ideam huiusmodi illa futura complexio certitudinaliter cognoscetur.

Iterum arguunt quod idee quicquid repraesentant naturaliter repraesentant, cum sint in divino intellectu ante omnem actum voluntatis; aut ergo due idee – utpote hominis et albi – repraesentant complexionem hominis et albi, aut divisionem, aut utrumque; si compositionem, igitur necessaria est propositio: ‘Homo erit albus’, quia naturaliter et non libere est repraesentata, et per consequens non est futurum contingens; si vero divisionem, impossibilis est propositio: ‘Homo erit albus’, quia ex terminis naturaliter praesentatis oritur oppositum illius propositionis, et ita non est futurum contingens; si vero utrumque, sequitur quod Deus neutram partem novit determinate.

Dicerent tamen illi quod idee terminorum repraesentant utrumque sub quadam indifferentia, sed idea complexionis repraesentat alterum tantum; nec tamen propter hoc est futurum necessarium, immo remanet contingens, sicut manet contingentia, dato quod actus divinae intellectionis attingens ea immutabilis sit.

Arguunt iterum sic: Deus eque perfectas ideas habet respectu possibilium fieri quae non fient, sicut respectu fiendorum; sed non habet respectu non fiendorum ideas quae repraesentent ipsas aliquando futuras, quia tunc Deus falleretur; igitur nec habet respectu fiendorum ideas repraesentantes quod sint futura.

Dicerent tamen isti quod quia fienda futura sunt, idcirco in Deo est idea repraesentans complexionem pro illo tunc pro quo fient.

Sic ergo non est via ad impugnandum et tollendum huiusmodi ideas nisi quae supra tacta est, videlicet quod si in Deo esset idea repraesentans complexionem futuram in tali nunc vel tali, sequeretur quod Deus in repraesentando esset materialis; esset enim infra lineam successionis, cum repraesentaret complexionem terminorum ut ponendam in tali nunc.

Quod Deus non novit futura quatenus sunt in sua existentia posita in rerum natura praesentia aeternitati, contra primam opinionem et interpretationem Durandi. Quarta autem propositio est quod non ideo Deus futura cognoscit quia eorum existentia exhibita in rerum natura praesens est aeternitati, sic quod divinus intuitus feratur super eas in sua existentia actuali. Hoc enim verum non est, ut supra visum fuit, quod scilicet res futurae actualiter sint praesentes aeternitati. Et, dato quod sic esset, adhuc divinus intuitus non ferretur in eas ut sic, nec haberet earum certam cognitionem quia sic essent praesentes. Constat enim quod divinus intuitus nullo modo terminatur ad aliquid extra se, sed tantum ad essentiam suam, ut Augustinus dicit *LXXXIII quaestionum*, quaestione XLVI – ait enim quod: “Deus nihil extra se positum intuetur”; sed existentia futurorum est aliquid realiter positum extra Deum; ergo quantumcumque praesentialiter existeret ab aeterno, non ex hoc Deus habebit certam notitiam de futuro contingenti.

Praeterea, non magis tribuit divino intellectui existentia futuri contingentis ut praesens aeternitati quam cum est praesens etiam cum hoc in certo tempore; sed futurum contingens iam

positum in actu in certo tempore, ex hoc quod est sic praesens et positum, non dat divino intellectui ut certitudinaliter ipsum cognoscat, immo habet hoc intellectus a se, alias vilesceret divinus intellectus et mensuraretur a rebus, cum traheret certitudinem ab ipsis; ergo nec futurum praesens aeternitati tribuit divino intellectui quod certitudinaliter cognoscatur ab eo.

Praeterea, quantumcumque res futurae sint praesentes aeternitati, adhuc restat quaerere ex parte divini intellectus, quid est sibi ratio attingendi actualitatem futuri positi in sua praesentialitate? Et oportet dicere quod essentia – ut idea – vel voluntas, vel aliquid aliud; sed iste modus dicendi non ponit; igitur ad propositum nihil scire nos facit.

Ex quo etiam patet quod vana est interpretatio aliquorum qui dicunt non intellexisse positores istius modi quod res in sua existentia actuali praesentes essent aeternitati realiter, sed tantum secundum esse cognitum, ita quod intellectus divinus intuetur praesentialiter existentiam actualem contingentis futuri. Cum enim non intueatur immediate, oporteret eos dedisse per quid Deus intuetur, an scilicet cognoscendo determinationem Suae voluntatis aut ideas. Quod enim dixerunt: Quod per essentiam ut est causa cognoscuntur determinate futura, quia sicut ex causa necessaria sequitur effectus infallibiliter, sic ex causa impedibili – si non impediatur – sequitur infallibiliter suus proprius effectus. “Quare cognita causa impedibili, et omnibus quae eam impedire possunt et insuper eis quae eam impediunt vel non impediunt, certitudinaliter potest cognosci quis effectus eveniet vel quis non eveniet”; nunc autem Deus cognoscit causas omnium contingentium futurorum et omnia quae determinare eas possunt et quae determinabunt, et insuper cognoscit quae impedire possunt et quae impediunt vel non impediunt; ergo cognoscit certitudinaliter futura contingentia, cognoscendo enim suam essentiam cognoscit causas futurorum contingentium et si impediuntur vel non impediuntur.

Quod utique sic dixerunt, non valet quia, dato quod per essentiam cognoscat causas contingentium et quae impedire possunt vel non impedire, non tamen potest scire quid impedit actu vel non impedit, quia in actibus liberi arbitrii potest contingere utraque pars contradictionis ex sola determinatione voluntatis; huius autem determinationis Deus causa non est effective et determinative immediate, sed tantum mediante voluntate; voluntas autem penitus indeterminata est et potest ad utramque partem, et sic ea cognita a Deo nescitur ad quam partem contradictionis determinabitur, nisi aliquid aliud ponatur ex parte Dei ratione cuius illam determinationem cognoscat.

Quod non est quaerenda aliqua ratio quare Deus futura contingentia cognoscat quae sit medium cognoscendi, contra omnes praedictas opiniones, sed tantum quaerendum est quare, cognita divina essentia a suo intellectu, omnia futura contingentia cognita sunt aequipollenter et denominative. Quinta vero propositio est quod nulla ratio tamquam medium cognoscendi ponenda est quare Deus futura contingentia infalli biliter novit. Istud enim medium aut poneretur inter potentiam et actum aut inter actum et obiectum tamquam obiectum primum per quod actus transiret in futura contingentia ut in obiecta secunda, sicut videntur imaginari ponentes quod vel idee vel determinatio voluntatis sit ratio cognoscendi futura; sed constat quod horum neutrum poni potest; primum siquidem non, quia in Deo non est intellectus potentia nec intelligere elicatum, etiam secundum rationem, sed purus actus subsistens, ut alias dictum fuit; nec etiam secundum, quoniam supra dictum est quod in divino prospectu est sola sua essentia et non aliqua creatura, etiam ut obiectum secundum; ergo non est quaerenda talis ratio tamquam medium cognoscendi.

Sed quia supra dictum est quod Deitas est similitudo omnium eminentis et exemplar, et est in tantum omnia eminenter quod ea cognita cuncta sunt cognita aequipollenter et amplius quam si cognoscerentur in seipsis, idcirco dubium est quomodo sit similitudo futurorum quae fient quoad eorum existentias in aliquo nunc determinato ponendas, et tamen non sit similitudo multorum possibilium quae non fient quantum ad existentias eorum. Videtur enim quod uniformiter sit similitudo omnium possibilium fieri – sive fiant sive non fiant – alioquin aliqua viderentur habere praerogativam aliquam apud divinam essentiam, per quod sequeretur quod impossibile esset ista non fieri et impossibile illa fieri. Unde in hoc consistit punctus quaestionis et difficultas istius inquisitionis.

Quod actualitas futuri contingentis exemplatur a Deitate ita quod Deitas est eminens similitudo ipsius. Nunc igitur procedendum est affirmative sub triplici propositione. Prima quidem quod actualitas futuri contingentis exemplatur a Deitate ita quod Deitas est eminens similitudo illius. Hoc autem potest multipliciter declarari. Constat enim quod nullius est Deitas similitudo ex tempore quin sit ab aeterno et immutabiliter illius similitudo, alias esset apud Deum vicissitudo et variatio; sed manifestum est quod dum actualitas futuri contingentis ponitur et exhibetur in tempore, Deitas de necessitate est similitudo et exemplar illius, certum est enim quod Deus cognoscit contingens esse quando actu est; non cognoscit autem nisi vel per essentiam Suam, vel per voluntatem, vel per similitudinem aliam. Per voluntatem autem non, quia determinatio voluntatis non extendit se ad actualitatem omnis contingentis – unde peccatum Iude actualiter positum, non potuit Deus cognoscere intuendo determinationem Suae voluntatis, et iterum sequeretur quod Deus non cognosceret actualitatem directe, sed quasi arguitive ex Sua voluntate, sicut effectus arguitive cognoscitur ex causa – unde cognosceret sicut astrologus eclipsim cognoscit antequam sit, notitia quasi absenti, quae videtur imperfectionem importare; nec potest dici quod per similitudinem aliam ab essentia cognoscat actualitatem futuri exhibiti iam in actu; et ideo relinquitur quod per essentiam illam cognoscat. Et ita Deitas est exemplar et eminens similitudo illius actualitatis; ergo ab aeterno et immutabiliter erat similitudo.

Praeterea, Deitas est similitudo omnis necessarie entitatis, cum omnis necessitas expleatur ab Ea – est enim una de conditionibus entitatis necessitas perfectionem importans; sed manifestum est quod actualitas futuri contingentis, dum est exhibita, est quedam necessaria entitas, quia “esse quod est quando est necesse est esse,” secundum Philosophum primo *Peri hermeneias*; ergo Deitas est exemplar aeternale actualitatis futuri contingentis.

Praeterea, omnis entitas diminuta et omnis veritas causatur a prima entitate et veritate causalitate exemplaritatis, ut Philosophus dicit secundo *Metaphysicae* – illa enim propositio: ‘Primum in entitate et veritate est causa omnium aliorum quae sunt istius dispositionis’, quae scilicet sunt vere entia, intelligi debet non de causalitate efficientiae sed exemplaritatis, secundum mentem Philosophi, quod patet in exemplo quod ponit: Non enim ignis est causa efficiens omnium calidorum, cum calor generetur a sole et aliis stellis et quandoque a motu, est tamen ignis exemplar omnium calidorum propter excessum caloris; sed manifestum est quod actualitas futuri contingentis, dum est exhibita, est quedam determinata entitas, et pro tunc est determinata veritas in ipso contingenti; ergo Deus est aeternale exemplar et similitudo immobilis illius actualitatis quam habet futurum contingens dum exhibetur in actu.

Quod actualitas futuri contingentis potest habere similitudinem infallibiliter praesentantem, si talis similitudo sit vel coexistens et simultanea vel si fuerit non distans secundum successionis lineam. Secunda vero propositio est quod actualitas futuri contingentis potest habere similitudinem certitudinaliter praesentantem, si vel talis similitudo sit coexistens simultanee cum illa actualitate vel, dato etiam quod non sit existens simultanee, dum tamen existat indistanter secundum lineam successionis, ita quod similitudo illa non repraesentet actualitatem ut distantem in posterius, sed vel per modum simul coexistentis vel saltem non distantis; et quod similitudo existens et simultanea actualitatem futuri contingentis certitudinaliter repraesentet apparet in notitia sensitiva: Sortes enim quando sedet, certitudinaliter iudicatur per visum sedere, imprimit enim similitudinem coexistentem ipsi sessioni, nec praecedentem in visu nec subsequentem seu remanentem post sessionem – alioquin si praecederet vel remaneret, falso et fallibiliter repraesentaret sessionem; similitudo ergo quae manet praecise dum actualitas contingentis praesentialiter exhibetur, nec fuit ante nec manet post, illa est quae veraciter et infallibiliter ducit in notitiam existentiae actualis futuri contingentis.

Quod autem similitudo quae abstrahit ab ante et post et a simultate, ita quod actualitatem contingentis non respicit ut distantem, sed ut penitus indistantem, non tamen simultanee, quod talis, inquam, similitudo ducat certitudinaliter et infallibiliter in existentiam futuri contingentis

et actualitatem, potest multipliciter declarari. Remota enim causa, removetur effectus; sed tota causa et ratio quare aliqua similitudo repraesentans futuri contingentis existentiam actualem fallax esse potest consurgit ex hoc: Quia existentia futuri distat ab existentia similitudinis illius quadam distantia durativa, et econverso similitudo distat ab existentia; si enim detur oppositum, quod impossibile sit distare, utpote quia in essendo mutuo sunt connexa, tunc similitudo non praecedet existentiam, et per consequens non fallat, quia non repraesentabit nisi dum erit, et tunc similiter existentia repraesentata erit; si autem distat, necessario fallax est, quia pro illo tunc non erit actualitas pro quo illa similitudo existentiam praesentabit; nunc autem oppositum distantiae est non solum simultas sive coexistentia durativa, quae opponitur contrarie, immo et negatio distantiae vel indistantia quae opponitur privative et contradictorie; ergo similitudo indistans ab actuali existentia futuri contingentis, dato quod non sit coexistens et simultanea, sed tantummodo non distans, habere non poterit unde fallat in praesentando.

Praeterea, illa similitudo quae sic se habet ad existentiam actualem futuri contingentis quod eam non exhibet ut praesentem antequam sit, nec postquam non est, sed solum dum est, talis infallibilis est et certa, nec habet unde fallat; sed similitudo indistans ab existentia non exhibet existentiam ut praesentem antequam sit, quia supponitur quod similitudo non sit ante, alioquin distaret, ut prius distat a posteriori – unde si non existit similitudo illa per modum prioris et distantis ab existentia, manifestum est quod non praesentabit illam antequam sit; iterum nec praesentabit eam postquam non est, quia nec similitudo illa distat in post, cum sit positum quod omnino non distet; nec praesentabit existentiam illam ut simul cum similitudine ipsa, quia supponitur quod abstrahat a simultate, et a priori et posteriori, et a tota linea successiva, et quod sic se habeat ad existentiam quod non distet ab ea, non tamen sit simul cum ea; praesentabit ergo existentiam non ante nec post nec simul, sed indistanter dum erit; ergo talis similitudo vera erit et certa et impossibilis ad fallendum.

Praeterea, similitudo simultanea et connexa in existendo cum actualitate contingentis futuri aliquid habet unde similitudo, et aliquid unde opposita priori et posteriori, et aliquid unde similitudo simultanea; nam unde similitudo habet quod repraesentet existentiam actualem futuri contingentis; unde vero opponitur priori, ita quod non praecedit existentiam, habet quod repraesentet illam, sed non antequam sit; unde vero opponitur posteriori, quia non sequitur, habet quod repraesentet existentiam contingentis futuri, sed non postquam non est; unde autem simultanea est, habet quod repraesentet existentiam actualem ut simultaneam secum atque praesentem. Sed manifestum quod similitudo, si ponatur indistans negative, nec tamen simultanea positive, retinet oppositionem ad prius et posterius et similiter rationem similitudinis. Et abstrahit a simultate, ergo, inquantum similitudo repraesentabit existentiam actualem futuri contingentis; inquantum vero abstrahit a priori, non repraesentabit eam antequam sit; inquantum vero a posteriori, non repraesentabit postquam non est; inquantum vero a similitate, non repraesentabit eam ut coexistentem; et per consequens, cum sit indistans ab actualitate futuri contingentis, praesentabit eam pro illo tunc pro quo est, quia supponitur quod ab illo tunc sit indistans negative, licet non simul positive. Talis igitur similitudo non poterit esse fallax, sed cum omni certitudine infallibiliter repraesentans.

Quod secundum hoc sola Deitas potest esse similitudo sine fallacia repraesentans actualitatem futuri contingentis. Tertia quoque propositio est quod sola Deitas potest esse similitudo sine fallacia repraesentans actualitatem contingentis futuri. Declaratum est enim supra quod Deitas abstrahit in essendo ab omni tempore et ab omni duratione formali, ita quod terminare non potest aliquam habitudinem pertinentem ad tempus seu successionem. Unde nihil est sibi praeteritum, nihilque futurum, nihilque simultaneum sive coexistens positive. Ex hoc tamen quod non distat ab aliquo secundum prius, quia non est Sibi quidquam futurum, nec secundum posterius, quia non est Sibi quicquam praeteritum, necessario concipitur ut indistans ab omni tempore, non tamen ut simul aut praesentialiter coexistens, ut fingeat prima opinio superius impugnata; sed dictum est statim quod actualitas futuri contingentis potest habere similitudinem fallere non potentem; si talis, ponatur quod nullo modo distet secundum prius et posterius, sed vel simultanee coexistat vel indistanter existat; ergo Deitas quae existit indistanter

omnimode ab actualitate futuri contingentis ipsam poterit infallibiliter et certitudinaliter praesentare et exemplare.

Nulla autem similitudo creata existens in intellectu angelico vel humano abstrahit totaliter a linea successionis; immo intellectus acquirit speciem in aliquo instanti temporis; mora vero speciei in intellectu tempore mensuratur, sicut ceterae quietes formarum acquisitarum. Unde omne abstrahens simpliciter a tempore et indistans de necessitate a tempore oportet quod sit aeternum; quare nulla creata species potest per indistantiam attingere actualitatem alicuius futuri, qua ratione enim indistaret ab uno instanti futuri temporis, indistaret a quolibet instanti, et ita esset necesse esse et quoddam aeternum, quod soli Deitati competit secundum fidei veritatem. Et ideo Ipsa sola quae ex vi Suae aeternitatis ab omni nunc futuri temporis est indistans, ita quod nec prior nec posterior nec simul, habet quod possit esse similitudo eminens et exemplar actualitatis cuiuscumque futuri. Et per consequens divinus intellectus terminatus ad essentiam dicitur eminenter terminatus fuisse ad actualitatem contingentis futuri, quia ad aliquid aequipollens et plusquam aequipollens, ut saepe dictum est, et per hunc modum praescius est omnium contingentium futurorum.

In hoc ergo primus articulus terminetur.

Articulus Secundus

An notitia quam Deus habet de futuro contingenti sit intuitiva vel expectativa vel abstrahens ab utraque. Opinio Thomae in primo *Scripto*. Circa secundum vero considerandum quod aliqui dixerunt quod notitia quam Deus habet de futuro contingenti est omnino intuitiva et attingens actualitatem futuri exhibitam in effectu. Illo enim modo attingit Deus futurum contingens sub quo natura eius patitur ut infallibiliter cognoscatur; sed manifestum est quod hoc non patitur nisi prout actualiter exhibetur in rerum natura; cum enim res habeat esse et in se et in suis causis, si causae sint necessarie, tunc effectus cognoscibilis est per hoc solum quod habet esse in causis, dato quod non sit in se; cum vero causae sunt contingentes ad utrumlibet, tunc effectus sciri non potest per certitudinem per esse illud quod habet in suis causis, sed tantum prout est exhibitus et positus in natura, quale est omne futurum contingens; ergo Deus cognoscit futurum ut exhibitum in se praesentialiter et in natura effectum; talis autem notitia est intuitiva; igitur notitia futurorum quam Deus habet est intuitiva.

Praeterea, nullus potest negare quin Deus, re existente, ipsam rem videat prout in esse suo determinata est; sed manifestum est quod omnem illam notitiam habuit ab aeterno quam habet re existente, alioquin cognosceret rem aliter postquam est quam antequam fiat, et sic ex eventibus rerum aliquid accresceret Suae cognitioni; ergo intellectus divinus ab aeterno rem videt, et intuetur prout est in sua existentia, et ita habet notitiam intuitivam. Praeterea, Boetius dicit *V De consolatione* quod melius dicitur Dei providentia quam praeventia, quia non quasi futurum, sed omnia ut praesentia uno intuitu porro videt; sed hoc non esset verum nisi ista notitia esset intuitiva; igitur id quod prius.

Praeterea, si ponerentur quinque homines qui successive in quinque horis quinque contingentia facta videant, non dubium quod isti viderent haec quinque contingentia praesentialiter, quae tamen essent succedentia sibi ipsis; si autem poneretur quod isti quinque actus cognoscentium esset unus actus, posset dici quod una cognitio esset praesentialiter de omnibus cognitis successivis, et sic est de Deo quod uno aeterno intuitu non successivo omnia temporalia praesentialiter videt; sed talis praesentialis notitia intuitiva est; igitur id quod prius.

Sic igitur dicunt isti quod Deus habet notitiam visionis de futuris contingentibus quae aliquando fient; de rebus vero possibilibus fieri quae non fient, habet tantum notitiam simplicis intelligentiae, ut illa sit intuitiva et ista non.

Opinio Henrici et Scoti. Dixerunt vero alii quod Deus habet notitiam de futuro contingenti non quidem in quantum praesens est, sed in quantum futurum est, quia non cognoscit futurum infallibiliter et de necessitate nisi Dei voluntas est causa immutabilis et non impedibilis eorumdem; sicut si aliquis videret determinationem voluntatis respectu alicuius operabilis nec posse impediri propter suam omnipotentiam, sciret utique operabile illud producendum fore

determinate a voluntate creata. Secundum hoc ergo habent isti dicere consequenter, cum voluntas non sit actu causa futuri sed tantum erit, quod Deus non cognoscit futurum ut praesens, vel coexistens, sed potius ut futurum, quia effectus non est actu coniunctus omnipotentiae creative; et ita notitia Dei non erit intuitiva, sed potius futuri ut distantis et posterius fiendi.

Opinio aliorum. Dixerunt autem alii quod quantumcumque res futurae absentes sint, tamen realis earum existentia repraesentatur a divina essentia per modum existentis, quia per omnem modum cognoscibilitatis qui potest esse in rebus illis <repraesentantur>. Propter quod Deus quasi medio modo inter notitiam intuitivam et abstractivam cognoscit futura, non enim plene intuitive, quia res praesentes non sunt, nec plene abstractivae, quia per modum praesentialem repraesentantur.

Quid dicendum secundum veritatem. Et primo quod notitia memorativa, expectativa, et intuitiva, ex opposito distinguntur. Restat igitur nunc dicere quod videtur sub quadruplici propositione. Prima quidem quod hae tres notitiae ex opposito distinguntur: Memorativa, expectativa, intuitiva, secundum Augustinum XI *Confessionum*, capitulo XI. Ait enim quod longa expectatio futuri est, longa memoria praeteriti est, attentio vero praesentis est. Et sic mens expectat, attendit, et meminit, ut id quod expectat per id quod attendit transeat in id quod meminit. Et dicit ibidem quod: "Ita tenditur meus visus in memoriam propter id quod dixi, et in expectationem propter quod dicturus sum; praesens tamen est actio mea per quam trahitur quod erat futurum ut fiat praeteritum." Sic igitur patet secundum Augustinum quod dum aliquid apprehenditur ut praeteritum et per modum memorie, necesse est ut in modo cognoscendi interveniat quaedam linea successiva inter cognoscentem et cognitum, incipiens a cognoscente et procedens in anterius et prius, scilicet in rem cognitam quae praeteriit et ut praeteriit; econverso vero, dum aliquis cognoscit futurum ut sibi futurum, cognitio sua quasi lineariter tendit in posterius; quando vero apprehenditur praesens, cognitio procedit in ipsum non quasi in anterius aut posterius, sed per modum cuiusdam simultanei et coniuncti durative.

Est tamen considerandum quod huiusmodi notitia est quodammodo materialis, non quidem quantum ad situm qui debetur continue quantitati, sed quantum ad ordinem prioris et posterioris, et durativam distensionem. Propter quod si intellectus angelicus vel humanus subicitur in operando tempori eo modo quo quietes vel res quiescentes, generabiles, et corruptibiles subiciuntur et mensurantur tempore, ut patet III *Physicorum*, possibile erit in intellectu huiusmodi cognitiones distinguere, quia cum sit infra lineam successionis, impossibile est quod aspiciat praeterita, nisi cognitione quae est posterior ad illa, et ita non attingit, nisi extendatur sua cognitio modo lineari in ante, quasi in distans; et similiter in post per modum expectationis respectu futuri; et in praesens per modum simultanee intuitionis. Et secundum hoc notitia intuitiva claudit nunc in suo modo cognoscendi, ita quod dicitur notitia praesentialis et actualiva, quia statuit cognitum in esse actuali pro illo nunc praesenti.

Sed forte dicetur quod secundum hoc Deus non potest cognosci cognitione intuitiva, cum non sit praesens aliqua simultate positiva cum intellectione intuentis; abstrahit enim ab omni nunc et ab omni duratione, ut dicebatur supra.

Dicendum tamen ad hoc quod intuitio qua beatus videt Dei essentiam est actualiva et praesentialis non quia statuatur actualitatem divinam in aliquo nunc aut in aliqua praesentialitate positiva et simultanea, sed quia statuit illam per negationem omnis prioris et posterioris, et ita ut indistantem durative ab ipsomet cognoscente, et per consequens quasi praesens praesentialitate negativa.

Quod Deus non cognoscit sic intuitive creaturas quod attingat eas ut Sibi praesentes, contra primam opinionem. Secunda vero propositio est quod Deus non cognoscit futura ut praesentia aut coexistentia Suae aeternitati ita quod Eius intuitus ad futurorum existentias terminetur. Visum est enim supra quod nulla creatura est in divino prospectu terminative; sed existentiae futurorum contingentium sunt et creature; ergo Suus intuitus non fertur in eas, nec terminatur ad earum praesentialitatem.

Praeterea, cogitationes hominum succedent sibi in infinitum et similiter eiulatus dampnatorum; si igitur Deus istorum existentias intuetur quasi praesentes, aut ipse ut existentes in divino intuitu sunt secundum multitudinem finitam aut in multitudine infinita; sed non potest dari secundum, quia infinitas et praesentialitas vel actualitas mutuo sibi repugnant, ut infra dicitur et iam apparuit supra; nec potest dari primum, quia illa multitudo cogitationum aut eiulatum finita resecaretur et consumeretur in tempore finito, ultra quod adhuc eiulatus et cogitationes adhuc sibi succederent; igitur poni non potest quod divinus intuitus feratur in res futuras tamquam in praesentialiter existentes.

Praeterea, ille intuitus qui fertur praesentialiter in aliquid existens necessario coexistit et est simultaneus cum illo in quod fertur; sed manifestum est quod divinus intuitus, cum sit idem quod essentia sua, non coexistit nec habet aliquam simultatem cum existentis rerum futurarum, quia nec existentiae ille praesentes sunt aeternitati quando futurae sunt in se; immo nec quando sunt actu adhuc habent aliquam simultatem cum divina essentia, quia ipsa penitus est abstracta; nec est praesens, nisi solummodo negative, quia nec praeterita, nec futura; ergo nullo modo divinus intellectus fertur in existentias contingentium futurorum per modum intuitionis.

Nec valent motiva primae opinionis. Primum siquidem non, quia licet non sit determinate cognoscibile futurum contingens nisi prout est actu exhibitum in natura, nihilominus non fertur divinus intuitus immediate in ipsum sic positum in actu, sed fertur in ipsam essentiam Deitatis, quae quidem non exemplat huiusmodi existentiam per modum coexistentis Sibi aut simultanei – immo nullatenus coexistit – sed exemplat eam per modum non distantis in praeteritum vel futurum; nec tamen per modum simul existentis, sed penitus non distantis, et hoc appellatur praesentia negativa, quia negatio praesentiae.

Non valet etiam secundum, quia non est verum quod cum res est actu exhibita in tempore, divinus intuitus feratur in ipsam ut praesentem sive coexistentem, sed eo modo quo dictum est.

Et per idem patet ad tertium, non enim debet dici praeventia, quia non intuetur futurum ut distans.

Non valet etiam quartum, non est enim simile de illis quinque visionibus et de divino intuitu aeterno, quia quilibet illorum coexisteret actualitati in se per modum cuiusdam simultanei et eodem nunc mensurati.

Quod nec Deus habet rememorativam de praeterito nec expectativam notitiam de futuro, contra secundam opinionem. Tertia quoque propositio est quod Deus non habet rememorativam de praeterito nec expectativam notitiam de futuro. Talis enim est divina notitia de praesenti, praeterito, et futuro, qualem modum habet similitudo eminens et exemplar quod est Deitas in exemplando futura; sed declaratum est quod in praesentando actualitatem futuri non Se habet secundum aliquam lineam successivam; unde nec repraesentat eam ut futuram nec ut praeteritam nec ut simultaneam, sed ex hoc quod nec distantem in praeteritum nec in futurum, sequitur necessario quod repraesentet ut indistantem. Habet autem hoc Deitas ex hoc quod abstrahit a tota linea successiva in essendo. Nulla enim res respectu Eius futura est aut praeterita aut simultanea, sed tota successionis linea est infra Deitatem tamquam quiddam subiectum, nec intercidit in hac linea Deitas quasi dividat eam in antea et post; ergo similiter abstrahit in cognoscendo, ut scilicet nihil aspiciat ut futurum nec ut praeteritum nec ut simultaneum, sed abstrahendo ab omnibus, aspiciat ut indistans; et ita cognoscit Deus sibi invicem succedentia cognoscendo quod unum respectu alterius est praeteritum, alterum vero futurum, et tamen Sibi nullum est praeteritum, nec futurum.

Haec autem est intentio Scripture, ubi dicit quod novit ea quae non sunt tamquam ea quae sunt, et iterum Augustini, cum dicit quod non aliter novit res postquam factae sunt quam antequam fierent. Propter hoc etiam dicit Boetius quod non est in Deo praeventia, sed providentia, sive procul videntia. Propter hoc etiam dicit Damascenus, libro secundo, capitulo tertio, quod solus Deus semper ens, magis autem et super semper; non sub tempore est, sed super tempus. Propter hoc etiam dicunt ubique sancti quod Deo nihil praeterit, nihilque futurum est, sed totum praesens est, accipiendo per praesentialitatem non simultatem aliquam positivam, sed indistantiam solam, ut saepe dictum est.

Quod notitia futurorum dicitur praescientia non quia scientia praecedat scitum, sed quia unum scitum praecedit aliud. Quarta demum propositio est quod licet notitia futurorum quam Deus habet possit dici intuitiva in ordine ad obiectum intuitum et terminans aspectum, in ordine vero ad obiectum denominative cognitum, quae sunt existentiae futurorum, licet non possit dici proprie futuri expectatio nec simultanea intuitio, dicitur tamen praescientia quia scitum subsequitur – non quidem scientiam, cum omnino sit indistans, sed quia sequitur aliud in proprio genere. Est enim futurum in ordine ad praesens nunc quod est in tempore, non autem in ordine ad intuitum divinum.

His tamen quae dicta sunt videntur aliqua obviare. Indistantia namque, cum sit negatio relativa, videtur praeexigere existentiam terminorum; sed actualitates futurorum contingentium non existunt; ergo non videtur quod Deitas sit similitudo indistans ab actualitatibus contingentium futurorum. Unde videtur eadem difficultas de indistantia et de similitate positiva, quare sicut Deitas non potest per modum simultatis attingere actualitates futurorum, sic videtur quod non possit eas attingere per modum indistantis.

Praeterea, inter contraria immediata aut inter contraria habentium medium positivum, non reperitur medium per abnegationem omnium tam medii quam extremorum, immo abnegatio extremorum de necessitate ponit illud medium positivum, sicut nec album nec nigrum ponit aliquem colorem medium; sed distare per prius ab aliquo et distare tamquam posterius sunt opposita, esse vero simul est medium inter illa; ergo cum negatur distantia prioris et posterioris ab aliquo respectu alicuius, ponitur de necessitate similitudo respectu illius. Et ita dicendo quod Deus est indistans ab actualitatibus futurorum, necessario ponitur quod sit coexistens et simultanee attingens, et redit opinio prima.

Praeterea, non se habet difformiter Deitas ad possibilia quae non fient et ad possibilia quae fient; sed non est indistans similitudo actualitatis possibilium quae non fient; ergo nec est exemplar indistanter repraesentans actualitates possibilium quae evenient.

Praeterea, si repraesentat actualitatem istorum et non illorum, causa istius diversitatis vel est ex parte Deitatis vel ex parte creaturarum; non est ex parte Dei, quia eque est causa exemplaris et uniformis respectu omnium; nec ex parte creaturarum, quia aequaliter nihil sunt in actu et aequaliter possibilia sunt; igitur illud nihil est dictu.

Sed istis non obstantibus, dicendum est sicut prius. Ubi considerandum quod actualitates quae non sunt, possunt fundare aut etiam terminare negationem relativam importatam per indistantiam, et tamen non relationem positivam importatam per simultatem; chimera enim non distat a tragelapho, non tamen potest esse simul; sic igitur Deus non distat nec est propinquus aut simul cum existentibus futurorum; et idcirco si eas repraesentat, repraesentabit ut non distantes nec simul existentes.

Et per hoc patet quod prima instantia non procedit, nec etiam secunda, quia negatio extremorum ponit medium positivum in subiecto apto nato; sed in subiecto abstrahente a toto genere, negatio extremorum non ponit medium, immo tollit totum, non enim sequitur, si angelus sit nec albus nec niger, quod colore medio coloretur; Deus autem abstrahit a priori et posteriori et a coexistentia simultatis, quare non sequitur si ponitur indistans ab actualitatibus futurorum, quod propter hoc ponatur simul coexistere illis, ut opinio prima dicebat.

Non procedit etiam tertia. Licet enim uniformiter repraesentet Deus creaturas in quantum possibiles sunt, non tamen similiter repraesentat existentias, quia rem quae hodie existit repraesentat ut existentem, et tamen rem quae numquam existet non repraesentat ut in aliquo nunc existentem; res igitur quae hodie existit habet in Deo similitudinem suae actualitatis etiam ab aeterno; ea vero quae numquam fient non habent talem similitudinem ab aeterno.

Non procedit etiam quarta, quia difformitas ista oritur ex parte existentiarum. Licet enim res aequaliter sint possibiles et aequaliter nihil in actu, actualitas tamen rei dum existit dat sibi quod possit habere similitudinem immutabilem, tamen indistantem, quia ut sic existentia immutabilis est, quae tamen ut futura mutabilis erat; propter quod res ut futurae eque repraesentantur, sed tamen ut indistanter existentes non eque repraesentantur. Et tota ratio consistit in hoc quod res positae in actu habent ex suis actualitatibus quod possint habere similitudinem infallibilem, et

hoc vel coexistentem vel aeternam, aeternitate non ponente praecessionem aut distantiam vel simultatem, sed non distantiam solam.

In hoc ergo secundus articulus terminetur.

Articulus Tertius

An propositio singularis de futuro contingenti sit determinate vera vel falsa in altera parte contradictionis. Opinio Scoti. Circa tertium vero considerandum quod aliqui dixerunt quod de futuris contingentibus est determinata veritas, non quidem in sui natura, sed in ordine ad divinam notitiam. Ubi considerandum quod non eodem modo veritas determinata est in futuris sicut in praesentibus et praeteritis, quia in istis est tanta determinatio quod non est in potestate causae posse in oppositum illius effectus, in illis vero, pro instanti quo ponuntur futura, potest poni oppositum illorum, quia non necessario ponitur in effectu ab aliqua causa aliqua pars contradictionis contingentis futuri. Sed non propter hoc sequitur, si veritas contingentis futuri sit determinata quantum ad esse, quin cognitio illius determinata sit; immo est determinata pro eo quod non est de se posita in esse, sed ponenda; nec Deus habet aliquid pro obiecto futuro, quin illud habeat pro obiecto cognito. Sic igitur secundum istos concedi potest quod Deus scit Antichristum futurum et quod haec propositio est determinate vera: ‘Antichristus erit’. Nec propter hoc tollitur consilium, immo tolleretur si altera pars non esset futura; si enim neutra vel utraque esset futura, non oporteret consiliari; sed quia altera, non tamen de necessitate futura est, ideo consiliari oportet.

Opinio Philosophi, primo *Peri hermeneias*. Fuit vero mens Aristotelis opposita, sicut patet primo *Peri hermeneias*. Et arguit ad hoc quia si singularis de futuro contingenti erit vera determinate iam, nunc determinatum est quid fiet, et ita impossibile est non fieri; et per consequens tollitur omnis sollicitudo, quia sive sollicitemur, sive consiliemur, sive negotiemur, vel non, id quod determinatum est fiet.

Quid dicendum secundum veritatem. Et primo quod nulla propositio singularis de futuro contingenti est determinate vera, nec affirmativa nec negativa, sed penitus indeterminata. Unde nulla potest formari de qua possit concedi quod sit vera vel falsa, contra opinionem communem. Restat igitur nunc dicere quod videtur sub triplici propositione. Prima quidem quod sententia Philosophi est penitus conclusio demonstrata, ita quod nulla propositio singularis formari potest de futuro contingenti de qua concedi possit quod sit vera et eius opposita falsa vel econverso, sed quelibet est neque vera neque falsa. Unde quamvis verum sit quod Sortes erit vel non erit formando propositionem disiunctivam, tamen cathogorice dicendo: ‘Sortes erit’, propositio neque vera neque falsa est; similiter nec opposita: ‘Sortes non erit’. Et tota ratio est quia sequitur demonstrative quod omne contingens inevitabiliter eveniret; inevitabilitas autem tollit omnem sollicitudinem, negotium, et consultationem; quod negare est negare per se notum et ponere oppositum principiorum moralis philosophiae et humanae naturae experientiam, cui inditum est quod negotietur et consilietur circa futura.

Quod igitur sequatur immutabilitas futurorum, si concedatur quod propositio de futuro illud exprimens sit vera vel falsa, potest evidenter demonstrari ex duabus propositionibus: Prima quidem quod si talis propositio vera est, illa immutabiliter et inevitabiliter erit vera; secunda vero quod ex illa inevitabiliter et necessario sequitur quod tale futurum ponetur in esse.

Primum ergo assumptum patet ex multis, scilicet quod si haec propositio vera est: ‘Antichristus erit’, immutabiliter et inevitabiliter est vera. Si enim mutari potest ne sit vera, aut mutabitur in illo instanti quo est vera, aut in instanti praecedenti, aut in instanti subsequenti usque ad instans quo res fiet, aut in instanti quo res fiet. Sed manifestum est quod non potest mutari in illo instanti quo est vera, quia pro eodem instanti esset vera et non vera, quod impossibile est. Nec in instanti praecedenti, tum quia si in instanti dato est vera, et in omni praecedenti fuit vera, quia si hodie verum est quod Sortes erit cras, et heri verum fuit quod Sortes esset cras, et ita si tunc poterat mutari in falsitatem, mutaretur in illo eodem tunc quo esset vera, et per consequens simul esset vera et non vera; tum quia si in instanti praecedenti

suam veritatem mutaretur, sequeretur quod ante amitteret veritatem quam haberet, quod nihil est dictu. Nec potest dici quod mutari possit in aliquo instanti subsequenti in tempore signabili inter instans propositionis et instans quo res fiet, quia si in aliquo instanti, utpote cras, falsa sit haec propositio: ‘Sortes erit’, impossibile est quod fuerit heri vera; detur enim oppositum, scilicet quod heri fuit vera et hodie falsa, hoc erit propter aliquam mutationem factam in re; nulla autem mutatio facta est, quia nondum res est nec subest alicui potentiae in actu, et per consequens, cum nihil mutetur circa rem, nihil mutabitur circa propositionem. Nec potest dici quod in illo instanti in quo res fiet vel non fiet mutabitur illa veritas, tum quia veritas illa transit in praeteritum, nam usque ad istud instans verum fuit quod Sortes erit, quod autem transit in praeteritum immutabile est, secundum Philosophum VI *Ethicorum*, Agathonis sententiam approbantis, qui dixit quod hoc solo privatur Deus: Ingenita facere quae facta sunt; tum quia si mutetur in instanti factionis rei, aut hoc erit quia significatum eius ponetur in esse, et tunc non mutabitur sed potius confirmabitur in sua veritate, aut oppositum sui significati ponetur, et tunc non mutabitur, quia numquam fuit vera, sed semper falsa. Ergo, cum non inveniatur instans in quo possit mutari propositio de futuro a veritate in falsitatem, necessario immutabiliter erit vera, si aliquo modo ponatur vera.

Praeterea, illud quo posito pro aliquo nunc in esse, de necessitate ponitur pro semper in esse, immutabiliter ponitur esse. Et hoc patet, quia praedicatum clauditur in subiecto. Quod enim determinat sibi sempiternitatem in essendo, in nullo tempore mutari potest, unde immutabilitatem sibi determinat; sed manifestum est quod si propositio singularis de futuro pro aliquo instanti ponitur vera, de necessitate pro omni instanti ponitur vera, donec veritas illa transeat in praesens et a praesenti in praeteritum, quia si ista vera est hodie: ‘Sortes erit’, et heri fuit vera, et in millesimum diem ante fuit vera, et quandocumque formaretur, etiam ab aeterno fuit vera usque ad illud instans quo Sortes ponetur, et tunc mutabitur veritas a futuritione in praesentialitatem, et erit verum quod Sortes est, et postmodum in praeteritionem, et erit verum deinceps in aeternum quod Sortes fuit; igitur si veritas ponatur in propositione de futuro pro aliquo instanti, veritas illa ponitur aeternaliter permanere, quia et pro toto tempore futuritionis quod potest ymaginari infinitum in ante permanebit veritas illa in propositione de futuro, deinde in propositione de praesenti, et deinceps in illa de praeterito in infinitum a parte post.

Sic igitur patet quod si propositio de futuro contingenti vera est, immutabiliter vera est. Et tota ratio sumitur ex hoc quod futurum non subest potentiae immutari potenti, quia quod futurum est, nihil est; quando vero res ponitur in actu, si ponitur oppositum propositionis, iam in nullo instanti fuit vera illa propositio de futuro, et sic non erit mutata; si vero ponitur significatum eius, tunc etiam non erit mutata. Unde sicut impossibile est quin praesens sit praesens et quin praeteritum sit praeteritum, ita impossibile est si aliquid est futurum et hoc sit verum, quod aliquid sit futurum, quin immutabiliter sit futurum; praedicatur enim in omnibus his propositionibus idem de se.

Secundum vero assumptum etiam patet, quod scilicet immutabiliter sequatur, si propositio de futuro sit vera, quod eius significatum ponetur. Illa namque consequentia necessaria est ex cuius opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, ut patet primo *Priorum*; sed ex opposito istius: Significatum propositionis eveniet, vel ponetur in esse’, sequitur oppositum propositionis formatae de futuro; unde si dicatur: ‘Sortes erit, ergo istud eveniet et ponetur in esse’, detur oppositum: ‘Non eveniet nec ponetur’, ergo sequitur quod Sortes non erit; haec autem opponitur illi: ‘Sortes erit’, quae ponebatur vera; igitur consequentia immutabilis fuit et necessaria.

Praeterea, quando per duas propositiones significatur idem sub aliis terminis, ex una infertur alia de necessitate; sequitur enim, si Marchus disputat, quod Tullius disputet, quia Marchus et Tullius sinonima sunt et significant idem; sed futurum et venturum idem significant; ergo de necessitate sequitur, si Sortem esse est futurum, quod hoc eveniet, et si haec vera est: ‘Sortes erit’, de necessitate istud est verum: Quod sic eveniet.

Ex his ergo demonstrative sequitur quod omnia futura immutabiliter evenient, si propositio de futuro determinate sit vera. In omni enim consequentia necessaria et immutabili, si antecedens est contingens, consequens potest remanere contingens, sicut patet cum dicitur: ‘Sortes currit, ergo movetur’, consequentia enim est necessaria, sed antecedens et consequens

sunt contingentia; si vero antecedens est necessarium, consequens erit necessarium; si vero antecedens sit immutabile et inevitabile, consequens erit inevitabile et immutabile; sed propositione ista: ‘Sortes erit’, vel Antichristus, existente vera, sequitur de necessitate: ‘Ergo ita eveniet’, ut patet ex secundo assumpto.

Ex primo autem apparet quod antecedens est immutabile et inevitabile, scilicet veritas istius propositionis: ‘Antichristus erit’, si aliquo modo sit vera; ergo consequens erit inevitabile. Unde immutabiliter ita eveniet et idem potest concludi de omni futuro; igitur omnia futura immutabilia sunt et evitari non possunt. Hoc autem dicere dementissimum est, ergo et illud unde sequitur, scilicet quod aliqua propositio de futuro sit vera. Unde ista non est vera: ‘Antichristus erit’, nec etiam ista: ‘Antichristus non erit’, sed bene disiunctiva: ‘Antichristus erit vel non erit’.

His tamen quae dicta sunt aliqua obviare videntur, nam primum principium: ‘De quolibet esse vel non esse’, falsum esse non potest; assumpta ergo propositione singulari, aut est vera aut non vera; si vera, habetur propositum; si non vera, ergo est falsa, quia verum et falsum sunt contraria immediata; ex negatione autem unius contrarii immediati sequitur positio alterius in subiecto apto nato; sequitur enim: ‘Linea non est recta; ergo est curva’; sed constat quod omnis propositio est subiectum aptum natum recipere veritatem vel falsitatem; ergo sequitur, si singularis propositio de futuro non est vera, quod omnino sit falsa.

Praeterea, lex contradictoriarum est quod si una sit vera, reliqua sit falsa, et quod de necessitate una sit vera, reliqua sit falsa; ergo necessario vel ista est vera: ‘Antichristus erit’, et reliqua falsa, scilicet: ‘Antichristus non erit’, vel econverso, cum contradictorie opponantur.

Praeterea, illa propositio est vera ex qua sequitur propositio vera, quia verum non sequitur nisi ex vero, saltem in consequentia non sillogistica – unde si consequens est verum, antecedens est verum; sed haec propositio vera: ‘Antichristum esse est possibile’, sequitur autem ex ista: ‘Antichristus erit’, bene enim infertur: ‘Antichristus erit; ergo Antichristum esse possibile est’; igitur illa propositio fuit vera: ‘Antichristus erit’.

Praeterea, dato quod propositio de futuro sit vera determinate, tamen non necessario, non sequitur quod effectus ponatur necessario, sed ponetur determinate, non necessario; hoc autem sufficit ad salvandum consilium; igitur non tollitur consilium, quamvis propositio sit vera.

Praeterea, assumpto instanti futuro per intellectum, in virtute primi principii, verum est quod in illo instanti Sortes erit vel non erit, quia de quolibet pro quolibet instanti dicitur vere affirmatio vel negatio et de nullo simul; sed si vere dicitur quod erit, propositio hoc affirmans erit vera; si vero non erit, propositio negativa erit vera; ergo semper vel affirmativa de futuro contingenti est vera vel negativa.

Sed his non obstantibus dicendum est sicut prius, ubi considerandum quod veritas propositionis sumitur ex entitate rei, quia veritas signi sumitur ex conditione signati; unde ab eo quod res est vel non est dicitur oratio vera vel falsa, ut patet in *Praedicamentis*. Constat autem quod contingens ad utrumlibet nullam determinationem habet ad alterum ex ordine ad suas causas, causae namque illud respiciunt sub omnimoda indifferentia; tunc ergo primo determinatur contingens ad utrumlibet quando actualiter ponitur et existit. Actualitas autem, quae dat contingenti determinationem, potest referri ad omne instans praecedens et distans in ante, vel ad omne instans succedens et distans per posterius ab illa actualitate. Dat ergo actualitas determinationem contingenti in quolibet instanti sequente actualitatem, quamvis non sit in illis instantibus; unde semper est determinate verum quod talis actualitas fuit. Non dat autem sibi determinationem pro aliquo instanti praecedente; unde numquam est determinate verum quod erit. Trahitur enim determinatio quam dat actualitas contingenti ad instantia subsequentia, non autem ad instantia praecedentia, cuius ratio est quia actualitas respectu futurorum sequentium ponit contingens extra suas causas; unde non remanet infra causalitatem alicuius, nec cadere potest super ipsum activa potentia. Econverso autem, in omnibus instantibus quae praecedunt, relinquit actualitas contingens infra causalitatem et potentiam suorum principiorum; illa autem sunt ad utrumlibet et indeterminata, et per consequens determinatio, ortum habens ab actualitate, trahi non potest ad instantia quae praecedunt.

Potest etiam alia ratio assignari magis immediata, quia quando aliquid oritur ex aliquo, sequitur ipsum et non praecedit; determinatio autem contingentis oritur ex actualitate, ut dictum

est; ergo non potest determinatio illa poni pro instantibus praecedentibus actualitatem, sed pro sequentibus. Sic igitur, cum natura contingentis omnino indeterminata sit pro quolibet instanti praecedente suam existentiam actualem, necessario utraque pars contradictionis absque ulla determinatione sibi debetur pro tunc. Et ideo nulla propositio est vera, nisi quae claudit utramque partem contradictionis sub indifferentia et disiunctim. Quae vero determinate alteram partem exprimit non est vera nec etiam falsa, quia si falsa esset, pars opposita esset determinata; et hinc est quod haec propositio vera est: ‘Sortes erit vel non erit’, et ista falsa: ‘Sortes nec erit nec non erit’; et ista vera: ‘Aliquod istorum indeterminate eveniet’, quod scilicet Sortes erit vel non erit, et illa falsa, scilicet quod: ‘Neutrum determinate eveniet’. Haec tamen: ‘Sortes erit’, neque vera neque falsa; similiter nec illa: ‘Sortes non erit’. Statim enim dum hoc concederetur, poneretur determinatio in ipso contingente, quae ponibilis non est; immo repugnat suae nature.

Non procedunt ergo instantiae. Prima siquidem non, quia propositio de futuro contingenti sumpta praecise sub altera parte contradictionis non potest esse subiectum veritatis vel falsitatis, alioquin res contingens esset determinata.

Non valet quoque secunda, quia licet lex contradictoriarum sit quod si una est vera, reliqua sit falsa, non tamen est lex quod una sit vera et reliqua falsa semper; immo excipit Philosophus propositionem de futuro contingenti primo *Peri hermeneias*.

Non valet etiam tertia, quia haec propositio: ‘Antichristum esse est possibile’, loquendo de possibilitate ad utrumlibet, non sequitur ex ista: ‘Antichristus erit’; immo veritas istius tollit illam. Si enim verum sit quod Antichristus erit, immutabiliter eveniet, ita quod ipsum esse pro illo tunc non est possibile ad utrumlibet; immo penitus necessarium, sicut Sortem esse, dum est, necessarium est; et haec patent ex praedictis. Unde ‘Antichristum esse possibilem contingenter’ aequipollet isti: ‘Antichristus erit vel non erit’. Haec autem: ‘Antichristus erit vel non erit’, non sequitur ad istam: ‘Antichristus erit’; et per consequens nec ista: ‘Antichristum esse est possibile ad utrumlibet’, sequitur ex illa.

Non valet etiam quarta. Impossibile enim est quod aliquid determinate eveniat quin immutabiliter eveniat; unde existente determinatione veritatis istius propositionis: ‘Antichristus erit’, necessario ponitur immutabilitas eventus; immutabilitas enim et necessitas idem sunt, ut inferius apparebit.

Non valet etiam quinta, quia pro nunc futuro non est vera affirmatio determinate vel negatio determinate, sed affirmatio vel negatio indeterminate, non autem utrumque simul vel negatio utriusque.

Quod Dei notitia non dat propositioni de futuro contingenti quod sit vera vel falsa.

Secunda vero propositio est quod notitia divina quam de actualitatibus futurorum contingentium habet non dat ut propositio affirmativa praecise vel negativa praecise formata de futuro sit vera vel falsa, immo relinquit utramque neque veram neque falsam. Nulla enim notitia dat propositioni de futuro veritatem vel falsitatem nisi illa quae tendit in futurum ut distans per modum notitiae expectativae – et ratio huius est quia notitia quae dat determinationem alicui pro aliquo instanti, debet coexistere illi instanti; si ergo dat determinationem pro instantibus praecedentibus actualitatem, necessario debet illa notitia praecedere actualitatem et eam aspicere ut posteriorem et distantem, et per consequens est notitia expectativa; sed declaratum est supra quod notitia Dei non est expectativa futuri, nec tendit in ipsum tanquam in distans – unde non praecedit actualitatem futuri; ergo non dabit determinationem illi actualitati pro aliquo instanti praecedenti, et per consequens nec propositio formanda habebit a divina notitia quod sit vera vel falsa.

Praeterea, si divina notitia dat huiusmodi propositionibus quod sint verae vel falsae, aut hoc habet ipsa notitia ratione obiecti cogniti aut propter modum cognoscendi; sed non potest dici quod hoc sit propter obiectum cognitum, nam declaratum est in praecedenti propositione quod actualitas contingentis non dat determinationem instantibus praecedentibus – immo relinquit contingens indeterminatum ad utramque partem contradictionis et neutram determinate posse exprimi vere vel false, et ita notitia non trahit ab ista actualitate cognita quod propositio pro praecedentibus instantibus sit vera vel falsa; nec etiam potest dici quod hoc habeat notitia ex

modo cognoscendi, quia non est illa notitia in praecedentibus instantibus, alioquin Dei notitia esset expectativa; nec etiam notitia illa coexistit illis instantibus vel est simul cum eis, ut supra declaratum fuit, sed est totaliter indistans ab actualitate contingentis et ab illo instanti in quo existit, et ita non plus largitur determinationem contingenti pro praecedenti tempore quam largiatur ipsamet actualitas a qua penitus est indistans; ergo necesse est quod propositionem de futuro formandam relinquat Dei notitia neque veram neque falsam.

His tamen videntur aliqua obviare. Certum est enim quod prophetiae non potest subesse falsum; propositiones ergo propheticae sunt determinate verae; sed propositiones huiusmodi sunt de futuro contingentis, ut illa Ysaie: “Ecce Virgo concipiet et pariet filium,” et illa Christi: “Non cantabit gallus, donec ter abneges nosse me,” et illa: “Scitis, quia post biduum Pascha fiet, et filius hominis tradetur,” et sic de omnibus prophetiis; ergo videtur quod ex infallibilitate divinae praescientiae propositiones de futuro contingentis habeant quod sint verae.

Praeterea, si propositiones tales non essent verae, nullus praedicens futura esset mendax, et per consequens non esset differentia inter prophetas veridicos et sanctos, et prophetas mendaces, quia neuter dicit verum vel falsum; sed scriptura sacra reprehendit prophetas falsos et commendat veros, Ezechielis XIII, dicens de “prophetis insipientibus” qui “nihil vident” et “divinant mendacium,” et Deuteronomii XVIII, Moyses diffiniens quid sit falsus propheta, dicit quod: “Hoc habebis signum quod in nomine Domini propheta ille praedixerit et non evenerit, hoc Dominus non est locutus”; ergo dici non potest quin propositiones de futuro ex divina praescientia habeant quod sint verae aliquae et earum oppositae falsae, alioquin tantum valuisset Ysaie dixisse: “Ecce virgo non concipiet,” sicut dicere: “Ecce virgo concipiet.”

Praeterea, omnis propositio credita est determinate vera, quia fidei non potest subesse falsum, immo obiectum fidei est infallibile verum; sed aliquae propositiones de futuro sunt creditae, ut quod carnis resurrectio erit, et quod generale iudicium est futurum; igitur id quod prius.

Praeterea, omne scitum est verum, quia scientia verorum est; sed Deus scit Antichristum futurum et propositiones alias de futuro, alias non praediceret nec revelaret eas, et accresceret Sibi nova notitia, dum futura ponerentur in actu, si prius non scivisset; ergo idem quod prius.

Praeterea, illa notitia dat determinationem propositioni illi cum cuius opposita illa notitia stare non potest; sed cum illa notitia quam Deus habebat de trina negatione Petri non poterat stare veritas istius propositionis: ‘Petrus non negabit ter Christum’; igitur praedicta notitia dabat determinatam veritatem propositioni oppositae.

Praeterea, illa notitia dat propositioni de futuro quod sit determinate vera in qua notitia est veritas determinata; sed veritas futuri contingentis determinata est in divina notitia quomodocumque hoc sit, sive per modum futuritionis sive per modum non futuritionis; ergo veritas sic determinata dat propositioni de futuro quod sit vera.

Praeterea, si id quod minus videtur inesse inest, et id quod magis; sed scientia expectativa, quae tendit in rem ut futuram, si esset certa, daret quod propositio de futuro esset determinate vera; ergo multo fortius notitia Dei, quae tendit in actualitatem futuri ut in praesentem, vel saltem ut in non distantem, dabit quod propositio sit vera, cum praesentialitas sit potior quam futuritio.

Praeterea, illa notitia quam Deus habet de futuro, etsi non sit simultanea et coexistens isti nunc, est tamen indistans ab isto nunc; sed prout est indistans ab isto nunc, aspicit futurum contingens sub ratione futuri et distantis; unde scit Deus quod actualitas illa est futura, etsi non Sibi, tamen isti rei quae existit in praesenti instanti; non enim solum novit actualitatem Antichristi, immo novit quod est futura saltem nobis, alioquin nesciret quando res praeteriit vel futura est aut praesentialiter existit; igitur scit Antichristum futurum per comparisonem ad istud nunc, et per consequens propositio ista vera est: ‘Antichristus est futurus’.

Praeterea, omnis veritas posita determinate in aliqua notitia exprimi potest per aliquam propositionem; sed veritas futuri contingentis determinata est in divina notitia, utpote sessio Antichristi; non potest autem exprimi vere per propositionem de praeterito dicendo: ‘Antichristus fuit vel sedit’, nec etiam de praesenti: ‘Antichristus est vel sedet’; ergo vere exprimitur dicendo de futuro quod sedebit vel erit.

Praeterea, Deus habet notitiam de sessione Antichristi indistantem ab ea, ut iam conceditur; sed veritatem cognitam indistanter impossibile est non poni, et per consequens non evenire; ergo si dicatur quod eveniet terminate, verum dicetur, vel si non dicitur, verum hoc est, quia potest non evenire, et si potest non evenire iam, non cognoscebatur notitia indistanti.

Sed istis non obstantibus, dicendum est sicut prius. Nulla enim notitia dat alicui propositioni quod sit vera nisi quatinus significatum illius est in ipsa notitia obiective; sed significatum istius propositionis: ‘Antichristus erit’, non cadit in divina notitia, qui enim dicit in mente sua quod Antichristus erit, necessario respicit ipsum ut futurum, hoc enim habet copula de futuro importata per li ‘erit’ quod esse copuletur cum subiecto ut in futurum; declaratum est autem saepe quod divina notitia non tendit in rem ut in post distantem vel in futurum; ergo ex divina notitia nullo modo potest propositio ista verificari. Unde nec Deus istam propositionem apprehendit ex Suo modo intelligendi, sed quatinus apprehendit omnes propositiones quas nos formamus; et ideo haec propositio: ‘Antichristus erit’, cum non cadat immediate in divina notitia, quasi Deus eam formet, sed mediate, scilicet quia nos formamus – omnis enim notitia ipsam immediate formans est expectativa – utique cum sit ita, non recipiat a divina notitia quod sit vera vel falsa, sed relinquitur indeterminata, quia nec vera nec falsa.

Est tamen hic attendendum quod intellectus noster semper decipitur in apprehendendo quomodo veritas futuri contingentis est determinata in divina notitia. Si enim comparetur actualitas contingentis ad notitiam praecedentem, nullo modo potest esse determinata, nec veritatem aut falsitatem dare illi notitiae, sicut nec propositioni. Si vero comparetur ad notitiam subsequentem aut etiam coexistentem, quarum una est memorativa et alia intuitiva, utique dat determinationem veritatis. Si vero comparetur ad notitiam simpliciter abstractam quae nec praecedat nec subsequatur nec coexistat, talis notitia potest habere determinationem pro eo quod non distat secundum praecedentiam et prioritatem; unde perinde est ac si sequeretur vel coexisteret. Et secundum hoc patet quod nulla notitia quam nos habeamus de futuro, cum praecedat actualitatem futuri, est vera vel falsa, sicut nec propositio de futuro, adhuc nec aliqua notitia, secundum quam apprehendamus Deum cognoscere futura, est plene vera; oporteret enim quod apprehendens Deum cognoscere illa abstraheret illa futura a futuritione, praesentialitate, et praeteritione, sicut et notitia Dei abstrahit. Intellectus autem noster, dum apprehendit Deum cognoscere actualitatem futuram, quantumcumque dicat quod notitia Dei non tendit in illa tamquam in futura, immo sicut in non distantia, nihilominus ipse intellectus noster cointelligit illa tamquam distantia et futura. Et ex hoc oriuntur omnes difficultates et conicitur non causam ut causam; putatur enim quod divina notitia inferat quod infert expectatio illa quae de necessitate concomitatur nostrum modum intelligendi; et hinc est quod Deus habet notitiam futuri contingentis quodammodo a nobis incomprehensibili et ineffabili, nisi tantum arguitive, per abstractionem scilicet ab omni notitia vel expectativa vel memorativa vel intuitiva; quamvis cum hoc dicimus, utamur semper expectativa, et ob hoc videtur nobis quod nostra expectativa sit vera, quia Sua abstractiva ab omni expectatione est determinate vera.

Non procedunt ergo instantiae. Prima siquidem non, quia propheticae propositiones de futuro non magis sunt verae quam suae opposite; unde nec istae nec illae sunt verae vel falsae. Quod patet ex hoc quod frequenter ponuntur de praeterito etiam quae possunt dici de futuro, ut illa Ysaie IX: “Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis”; unde non magis fuit vera ista pro illo nunc quo illam protulit Ysaias: “Ecce Virgo concipiet,” quam ista: “Parvulus natus est nobis”; et tamen utraque erat de Christo, una de futuro et alia de praeterito.

Sciendum est ergo quod, cum voces sint notae earum passionum quae sunt in anima, ut dicitur primo *Peri hermeneias*, significant enim propositiones res ut conceptas, impossibile est quod aliqua propositio exprimat veritatem futuri contingentis prout est in divina notitia; omnis enim propositio vel est de praesenti vel de praeterito vel de futuro, illa vero abstrahit a quolibet istorum et ideo non plus dicebat verum propheta dicendo: “Ecce Virgo concipiet,” quam si diceret ‘concipit’ vel ‘concepit’. Propositiones ergo propheticae aliud significant ex institutione et ex natura propositionum, aliud vero dant intelligere ex intentione prophetae; secundum enim naturam propriam et significationem quam exhibent, nec sunt verae nec sunt falsae; secundum autem intentionem prophetae, verae sunt, quia dant intelligere quod in divina notitia est

quaedam veritas ineffabilis et quaedam determinatio illius materiae de qua formantur, quae quidem determinatio non plus dat propositioni futurae quod sit vera quam illi de praeterito, cum abstrahat simpliciter ab omni tali; et hoc est quod nititur gestiendo ut cumque exprimere propheta.

Non valet etiam secunda, quia propheta verax et mendax non differunt penes veritatem propositionum, alioquin mendax fuisset Ysaïas dicendo: “Parvulus natus est nobis,” quia non erat tunc natus, et Ionas cum dixit: “Adhuc XL dies et Ninive subvertetur,” hoc enim non evenit, quia “misertus est Dominus super malitia, quam locutus est ut faceret et non fecit,” ut dicitur Ione tertio. Est ergo differentia prophetae veri a mendace ex hoc quod intendunt exprimere, scilicet determinationem quamdam in divina notitia respectu illius materiae de qua loquuntur. Unus enim movetur a Deo, alius vero a vanitate cordis sui, sicut Ezechielis dicit. Propter quod unus est sompniator et alius verax. Quod ergo dicitur, si evenerit, quod est propheta Domini, si vero non, quod est propheta falsus, dicendum quod sive evenerit sive non, propheta non dixit falsum, quia propositio de futuro nec est vera nec est falsa. Unde Christus non dixisset falsum, dato quod Petrus non abnegasset ter ipsum, immo potuit non negare. Loquitur ergo Moyses de eo quod accidit ut in pluribus, quia quod a Deo praedicitur ut in pluribus evenit, quamvis dato quod non eveniret propositio non fuisset falsa, sicut nec fuit vera propter actualitatem dum exhibetur, ut superius dicebatur.

Non valet etiam tertia, quia propositiones aliquae futurae cadunt quidem sub fide quantum ad id quod exprimunt ex intentione credentis, videlicet quod determinatio quaedam est de illa materia in divina notitia ineffabilis et inexpraessibilis per quamcumque propositionem et sic sunt verae, non autem ut rem respiciunt in proprio genere. Vel dicendum quod carnis resurrectio et generale iudicium non sunt futura contingencia ad utrumlibet, quia Deus determinavit omnino quod sic fiat; et sic forte fuit de multis propositionibus propheticis ad quas determinaverat Se Deus. Melius tamen dicitur primo modo, si tamen debeat salvari contingencia ad utrumlibet, et eventus necessitas evitari.

Non valet etiam quarta, non est enim concedendum quod Deus sciat Antichristum futurum, vel aliquam propositionem de futuro, quasi expectet eum et apprehendat ut distantem a Se; immo non aliter novit quam ipsum cognoscat dum actu est; et ita illa notitia non cadit super Antichristum futurum. Ista igitur propositiones concedende non sunt quantum ad id quod de sui natura significant, sed quatinus intenditur per ipsas exprimere quod non minus novit Deus futura quam praesentia et quod eodem modo cognoscit sicut cognoscet dum erunt in actu. Certum est autem quod ex notitia indistante ab actu non licet inferre de huiusmodi actu quod erit.

Non valet etiam quinta, quia cum notitia quam Deus habet de actualitate contingentis stat quod actualitas illa eveniat vel non eveniat; evenire enim respicit rem ut de futuro, sicut et cetera quae exprimuntur per ‘erit vel non erit’; quemadmodum ergo actualitas Pauli legentis hodie stat cum eventu vel non eventu pro die hesterna – quia hesterna die non erat verum quod eveniret nec quod non eveniret, ita quod ista actualitas nullam repugnantiam habet cum negativa de futuro, immo stant simul – sic nec cum divina notitia de huiusmodi actualitate nullam repugnantiam habet non eventus.

Non valet etiam sexta, quia licet veritas contingentis determinata sit in divina notitia, non tamen dat determinationem contingentem pro aliquo instanti praecedenti, sicut nec actualitas hodierna determinationem dedit contingentem in die hesterna. Quia si notitia Dei determinationem det pro die hesterna, aut dat eam ratione obiecti cogniti – et patet quod non, quia actualitas non dat – aut ratione modi cognoscendi, quod etiam non facit, cum notitia ex modo cognoscendi nullam habitudinem habeat ad diem hesternam, quia nec mensuratur per eam nec coexistit sibi ut sic actualitatem respiciat ut sequentem, sed eam respicit ut penitus indistantem. Indistans autem notitia non infert propositionem de futuro, non enim sequitur: ‘Video Petrum sedentem; ergo sedebit’; et sic non sequitur: ‘Deus scit actualitatem contingentis; igitur contingens erit’. Unde haec est illa deceptio de qua superius dicebatur, quia cum apprehendimus Deum scire actualitatem contingentis, nos apprehendimus illam actualitatem ut futuram et ut futuram copulamus eam cum scientia Dei. Et ex hoc concludimus, cum scientia falli non possit, quod

actualitas illa erit. Patet autem quod si copularem eam ut praeteritam, sequeretur quod fuit; et si ut praesentem, sequeretur quod esset. Sed si nec ut praesentem nec ut praeteritam nec ut futuram, sed ut abstrahentem, non sequitur quod sit vel fuerit vel quod erit. Et quia mens nostra non potest illam actualitatem sic abstrahere quin capiat eam ut futuram vel praeteritam vel praesentem, ideo non potest eam copulare modo abstracto cum scientia Dei. Et inde infert quod erit aut quod eveniet et <conicit> non causam ut causam, quia non sequitur hoc ex divina notitia, sed ex nostro modo intelligendi, qui nihil facit ad divinam notitiam, nec ad rem ipsam.

Non valet etiam septima, quia notitia expectativa, si certa sit, dat utique quod propositio exprimens eam sit vera determinate; propositio autem de futuro exprimit eam et propter hoc dat sibi veritatem; non est autem sic de notitia intuitiva, vel etiam indistanti, quia illa non exprimitur per propositionem de futuro; et ideo non sequitur, si video album, quod album erit, immo posset adnihilari; Dei autem notitia non est expectativa, ut dictum est saepe, sed omnimode indistans, et propter hoc non dat propositioni alicui, nec de futuro nec etiam de praeterito vel praesenti, quod vera sit, cum abstrahat ab istis.

Non valet etiam octava, quia res, etsi futura sit in se et per comparisonem ad nunc praesens, non tamen ut sic est determinata, immo est ad utrumlibet pro isto nunc; propter quod divina notitia comparans actualitatem ad istud nunc non novit determinate si erit vel non erit, quia ut sic ad utrumlibet est; sed prout apprehendit eam modo abstracto a futuritione, novit determinate actualitatem praedictam, et ita verum est quod actualitas ut cognita non est futura. Unde Deus habet cognitionem de huiusmodi actualitate dupliciter: Primo quidem ut abstracta est a futuritione in Sui notitia, et illa est determinata; secundo vero ut futura est, non quidem Sibi sed isti nunc praesenti, et illa indeterminata est et ad utrumlibet, quia et natura rei sic habet.

Non valet etiam nona, quia non est verum quod actualitas contingentis, prout est in divina notitia, exprimi possit per aliquam propositionem alicuius temporis, nam abstrahit ab omni duratione.

Non valet etiam ultima, quia veritas et actualitas contingentis pro tanto dicitur indistare, quia non est futura nec praeterita, nec tamen est simultanea vel praesens; propter quod huiusmodi indistantia non eam arguit ut futuram; propter quod non est necesse ipsam poni.

Quid pro regula generali sit tenendum in hac materia, quia non plus divina notitia dat contingenti in futurum quam ipsamet actualitas posita dedit praecedentibus saeculis eam respicientibus in futurum. Tertia quoque propositio est tenenda in hac materia pro regula generali quod divina notitia non dat aliquid futuro contingenti in futurum, nisi quantum actualitas posita dedit toti tempori praecedenti. Hoc autem sequitur ex praedictis, quia notitia Dei non aspicit praeterita tempora nec futura ut ex suo modo possit inferri praeteritum vel futurum; nec dat determinationem aliquam rei, sed illam habet de re cognita Deitate, quam ipsamet res habet in se ex sua actuali positione.

Ex ista ergo regula patet quod nulla propositio de futuro est vera propter divinam notitiam, quia nec actualitas lectionis hodiernae dedit praecedentibus saeculis quod haec esset vera: 'Lectio erit'. Et ex eadem patet quod nec ista est vera: 'Deus scit quod lectio erit', nec ista: 'Deus scit actualitatem futuram'. Et in omnibus qui tenet hanc regulam ut recurrat ad actualitatem, comparando eam ad secula in aeternum, facillime potest omnem instantiam vitare quae procedit ex divina notitia aeterna de illa actualitate. Et per hunc modum salvatur contingentia ad utrumlibet futuri, et tollitur eventus immutabilis, ut magis apparebit in quaestione sequenti. In hoc ergo tertius articulus finitur.

Responsio ad obiecta

Ad ea ergo quae in oppositum inducuntur, dicendum est ad primum quidem quod, proprie accipiendi praescientiam, non est in Deo, quia non aspicit actualitates contingentium ut futuras; sed large dicitur praescientia quia in comparatione ad nos, nondum sunt quae Deus novit.

Ad secundum dicendum quod licet futura non sint nec in se nec in suis causis efficientibus determinate, sed tantum ad utrumlibet, sunt tamen in sui similitudine eminenti, scilicet in

Deitate, non quidem ut futura sunt, sed potius ut abstracta a praeteritione et futuritione et etiam praesentialitate.

Et per idem patet ad tertium et quartum, quia futura, inquantum futura, sunt possibiliter aliter se habere, nec habent determinatam veritatem, sed prout abstracta sunt determinata sunt. Huiusmodi autem abstractionem non habent in proprio genere, nec in aliquo intellectu nisi divino.

Ad quintum dicendum quod non propter divinam notitiam determinata est in sua veritate propositio singularis de futuro contingenti, sicut patuit in corpore quaestionis, nec etiam haec propositio concedenda est: 'Deus scit Antichristum venturum sub ista futuritione'. Et per hoc patet ad septimum et octavum.

Ad ultimum dicendum quod Ieronimus non loquitur de praescientia, sed de providentia. Absurdum est autem credere quod Deus sic provideat et sollicitetur et curet de pulicibus et talibus vilibus sicut sollicitus est de humanis. Propter quod interrogat Apostolus, prima Corinthios IX: "Numquid Deo cura est de bobus?" quamvis alibi dicat Scriptura, Sapientiae XII, quod Deo "cura est de omnibus," non tamen talis et tanta qualis est de hominibus.